

1305

D O G M A T I C I .

1306

DLXXXII.

U. 4²⁷ Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 171. f. per duas columnas multis compendiis, ut solebant Scholastici, scriptus, coloribus distinctus, et Collegio Ducale olim donatus a M. Petro de Pirchenwart continet I. Tractatus dogmatici de Unitate et Trinitate Dei Fragmentum Sec. XIII. nitidissime exaratum, quod incipit: *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita egypti ab homine usque ad pecus &c.* Abrumpitur fol. 4. Acutus sane dialecticus fuit Autor, neque Lombardi via processit. Post annum 1207. scripsisse innuit non semel citatus ab eo Magister Praepositivus, qui eo anno Cancellarius Parisinus dicitur ab Egaff. Bulaco in Hist. Univ. Paris. T. III. p. 706. et Summam theolog. elaboravit, ut pluribus habes in Fabric. Bibl. med. Lat. L. XVI. b. v. Nostri nomen fortasse cum fine Tractatus excidit.

II. fol. 5. Incipit primus liber (in Magistrum Sententiarum) Guarre. Illustrem hic in arena theologia Oxoniensi et Parisina pugilem, eoque nomine notandum habemus, quod Johannem Scotum Ordinis sui discipulum natus fuerit, Guilelmum ab Oppido natali Warria (Ware) in Comit. Hertford. de Warra, Guarra, Guarronis, Varronis, quin Verum et Varrilonum dictum. Docuit is Parisius post Sec. XIII. medium, ut habes apud Tannerum, Fabricium, Waddingum, quem Oudinus confectis

jam, antequam Catholicos deferebat, Commentariis suis postmodum, ut se novis Συμπισσοις adprobaret, convitia passim inferviens T. III. col. 568. mendaciter scripsisse ait, Guilelmum a J. Pico Mirandul. in Apologia sua adpellatum fuisse excellentem Doctorem, Ecclesiæ lumen, fidei propugnaculum, mendax ipse, nam haec Elogia in edit. Opp. Pici Basileae per Heinr. Petri 1557. f. fol. 159. pag. 1. non nisi caecum effugere possunt. Verum isthaec odiosa mittamus. Initium Commentarii nostri est: Quoniam testante beato augustinus 8. de civ. dei c. 8. finis ideo finis dictus est, quia propter hunc certara uolumus &c. Liber II. fol. 77. p. 2. sic incipit: Circa secundum librum queritur primo, utrum multitudo creaturarum possit esse in mente ab uno principio &c. Liber III. fol. 127. Circa tertium librum queritur primo, utrum incarnatio sit possibilis, quia enim incarnatio est quedam unio &c. Liber IV. fol. 147. p. 2. Circa quartum librum queritur primo, utrum sacramenta possint efficere &c. Extrema sunt: sicut accidentis affigit suam speciem in uirtute substantie. Explicit 4. liber Varronis qui fuit Magister Scotti siue doctoris subtilis. Unde etiam ad ejus Sepulcrum Coloniae inter XIV. Doctores nomen suum aeri incisum habet.

DLXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2023 XIV. Folior. 58. 4. per duas columnas commode scriptus, rubricis